



1775

91. Heusinger, Tacubus Fridericus: Origines juris
eligendi et praedeliiberandi principum Electorum
S. R. I.
92. Kindius, Jo. Adamus Theophilus: De feudis femininis
93. Morzceuski, Stanislaus Nitecz: De re nummaria Polo-
niae ante Vencostam et Casimicum M. reges.
94. Puellmannus, Tobias Ludovicus Ernestus, Regis. procur.
cellarius: De rebus ac juribus per bonorum cessio-
nem ad creditores hanc transcurrentibus: Programma,
quo sollemnitas inaugurationis Caroli Francisci Bae-
rensis indicit.
95. Puellmannus, Tobias Ludovicus Ernestus: Observationum
juris Germanici specimen I.
96. Puellmannus, Tobias Ludovicus Ernestus: De causis
nonnullis adulterii poenam mitigandi spiritus
97. Ran, Christianus: De actione depositi adversus
tertium possessorem
98. Ran, Christianus: De querela inoffensae donationis

1795

49. Rea, Amibianus: Praesertim juris civilis ad l. 31 § 1
d. de pignori vel contra.
50. Sacherius, Fredericus Guilielmus Carolus: De bonorum
possessione, quam contra tabulas parentum heredi
agnoscunt.
51. Schaff, Augustus Fredericus: Specimen juris Digestorum
ad tit. de iustitia et iure.
52. Schaff, Augustus Fredericus: De furto usus
53. Segerus, Joh. Theophilus: Archimareschallus imperii
aeneatorum patronus et iudex.
54. Winckel, Carolus Fredericus: Super decreto in alienan-
dis rebus minorum interponendo
55. Zollerus, Frid. Gollub: De usu actionis recepto quoad
mores hodiernos
56. Zollerus, Frid. Gollub: Utrum testator cautionem fidei-
commissariam remittere possit?
57. Zollerus, Frid. Gollub: An detur depositum irregulare?

1775

58. Zallerus, Frid Gollit : An detur praesumptio
juris et de jure . ?

59. Zallerus, Frid Gollit : Quando depositarius com-
petat jus retentionis in deposito ?

60. Zallerus, Frid Gollit : De eo, quod justum est circa
remotionem a debitore ante concursum mutuum factam

177
1. Die Natur der Sache
2. Die Natur der Sache
3. Die Natur der Sache
4. Die Natur der Sache
5. Die Natur der Sache
6. Die Natur der Sache
7. Die Natur der Sache
8. Die Natur der Sache
9. Die Natur der Sache
10. Die Natur der Sache
11. Die Natur der Sache
12. Die Natur der Sache
13. Die Natur der Sache
14. Die Natur der Sache
15. Die Natur der Sache
16. Die Natur der Sache
17. Die Natur der Sache
18. Die Natur der Sache
19. Die Natur der Sache
20. Die Natur der Sache
21. Die Natur der Sache
22. Die Natur der Sache
23. Die Natur der Sache
24. Die Natur der Sache
25. Die Natur der Sache
26. Die Natur der Sache
27. Die Natur der Sache
28. Die Natur der Sache
29. Die Natur der Sache
30. Die Natur der Sache
31. Die Natur der Sache
32. Die Natur der Sache
33. Die Natur der Sache
34. Die Natur der Sache
35. Die Natur der Sache
36. Die Natur der Sache
37. Die Natur der Sache
38. Die Natur der Sache
39. Die Natur der Sache
40. Die Natur der Sache
41. Die Natur der Sache
42. Die Natur der Sache
43. Die Natur der Sache
44. Die Natur der Sache
45. Die Natur der Sache
46. Die Natur der Sache
47. Die Natur der Sache
48. Die Natur der Sache
49. Die Natur der Sache
50. Die Natur der Sache
51. Die Natur der Sache
52. Die Natur der Sache
53. Die Natur der Sache
54. Die Natur der Sache
55. Die Natur der Sache
56. Die Natur der Sache
57. Die Natur der Sache
58. Die Natur der Sache
59. Die Natur der Sache
60. Die Natur der Sache
61. Die Natur der Sache
62. Die Natur der Sache
63. Die Natur der Sache
64. Die Natur der Sache
65. Die Natur der Sache
66. Die Natur der Sache
67. Die Natur der Sache
68. Die Natur der Sache
69. Die Natur der Sache
70. Die Natur der Sache
71. Die Natur der Sache
72. Die Natur der Sache
73. Die Natur der Sache
74. Die Natur der Sache
75. Die Natur der Sache
76. Die Natur der Sache
77. Die Natur der Sache
78. Die Natur der Sache
79. Die Natur der Sache
80. Die Natur der Sache
81. Die Natur der Sache
82. Die Natur der Sache
83. Die Natur der Sache
84. Die Natur der Sache
85. Die Natur der Sache
86. Die Natur der Sache
87. Die Natur der Sache
88. Die Natur der Sache
89. Die Natur der Sache
90. Die Natur der Sache
91. Die Natur der Sache
92. Die Natur der Sache
93. Die Natur der Sache
94. Die Natur der Sache
95. Die Natur der Sache
96. Die Natur der Sache
97. Die Natur der Sache
98. Die Natur der Sache
99. Die Natur der Sache
100. Die Natur der Sache



14

Pr.

~~1775, 47~~

7

DE

AC T I O N E D E P O S I T I
A D V E R S V S T E R T I V M
P O S S E S S O R E M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S

A V C T O R I T A T E

P R A E S I D E

C H R I S T I A N O R A V

P H I L O S O P H I A E E T I V R I S V T R I V S Q V E D O C T O R E

A. D. XXIV. APRIL. C1D10CCLXXV.

H. L. Q. C.

D I S P V T A B I T


C H R I S T I A N V S G O T T L I E B W O L F F G A N G

E S C H E N B A C H

L I P S I A M I S N I C V S.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.



P. 254.

291



DE
ACTIOIBUS DEPOSITI
ADVERSUS TERRITIVM
POSSESSOREM
REPUBLICAE SVEVICAE
AVCTORITATE

CHRISTIANUS
THEOLOGUS ET JURISCONSULTUS
A. M. 1711. KILII. GIESSELIUS

CHRISTIANVS GOTTLIEB WOLFFING
ESSENBACH
LITISAE

IN OFFICINA HANSENIIANA

1711





Ex depositi conventionione, qua alteri res mobilis custodiae causa gratis ita traditur, ut quaecumque deponenti visum fuerit, eam in specie restituat, duas actiones enasci directam alteram, alteram contrariam, quarum illa deponenti aduersus depositarium ad rem cum omni causa restituendam, haec vero depositario aduersus committentem ad consequendam indemnitate[m] datur, adeo notum est, ut

A 2

nec



nec fugiat eos, qui vel prima iuris civilis principia haud ignorant. Actione autem depositi vtrum tantum contrahentes aduersus se inuicem experiri possint, an locum quoque habeat ea aduersus tertium possessorem, quo nomine hoc loco nobis venit is, qui non deponentis sed depositarii facto, quippe quocum contraxit, rem depositam tenet, cum haud inepte quaestio moueri possit, iuuat hanc paucis tractare. Atque profecto si verba edicti Praetoris audiamus, quae *VLP IANVS Lib. XXX. ad Edict. in L. I. §. I. D. de pos. vel contr.* sic retulit: *Quod neque tumultus, neque incendii, neque ruinae, neque naufragii causa depositum sit, in simplum, earum autem rerum, quae supra comprehensae sunt, in ipsum in duplum, in heredem eius, quod dolo malo eius factum esse dicitur, qui mortuus sit in simplum, quod ipse in duplum iudicium dabo;* iis nihil omnino magis consentaneum videtur, quam hoc, depositi actionem non dari nisi aduersus depositarium eiusue heredem, neque depositum a tertio possessore actione hac repeti posse. Nolo iam hic denuo copiose commemorare, quam veteris iuris, quod *LL. XII. Tab.* erat sancitum, cuius rationem verbis *QVINTILIANI Declam. CCXLV.* praeclare illustrauit *ANT. SCHVLTINGIVS ad PAVLI Rec. Sent. Lib. II. tit. 12. §. II. in Iurisprud. Anteq. pag. 281.* quae quidem huc transcribere non est necesse, mutationem Praetor edicto huic intulerit. Satis enim constat, et manifesto testatum facit locus *PAVLI* modo a nobis excitatus, vbi: *Ex causa depositi, Ictus inquit, lege duodecim tabularum in duplum actio*

actio datur; editio Praetoris in simplum: Decemuiros legum scribendarum omnem omnino depositarium, qui depositum inficiabatur, doloque malo reddere detrectabat, promiscue in duplum tanquam furem nec manifestum L. 13. §. 1. D. depos. conueniri uoluisse, Praetorem autem aequitatis obtentu hanc Legis decemuiralis seueritatem sic temperandam censuisse, ut introducto discrimine depositi in simplex et miserabile, illius nomine in simplum, huius contra in duplum actione depositarium pulsari edito statueret, licet caeteroquin depositi suo nomine, non contrario iudicio damnatos infames esse iusserit edito illo, cuius uerba seruaui IULIANVS L. 1. D. de his qui not. infam. et cuius quoque in sententiam rescripserunt Impp. DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS L. 10. C. depos. vel contr. Quo sane uelut manifesto documento euincitur, Romanorum in seruanda depositi conuentione summam omni tempore religionem fuisse, quam et ipsi Graeci tenuerunt, uti luculentissimis exemplis probatum dedit, qui de hoc argumento de industria exposuit NIC. HIER. GUNDLINGIUS in Obs. de poena denegati depositi uernaculo sermone scripta in Gundlingian. Part. II. num. 8. Neque longus ero in inuestiganda ratione iuris noui, quod Praetor introduxit. Hanc enim ipse VLPIANVS L. 1. §. 2. D. depos. suppeditauit, ubi: merito, inquit, has deponendi causas separauit Praetor, quae continent fortuitam causam depositionis ex necessitate descendentem, non ex uoluntate proficiscentem. Nam in uulgari deposito, ut egregie notat GER. NOODT in Comment. ad Dig. h. t. in

*Opp. Tom. II. res, locus atque tempus deliberationem patiuntur de fide ac diligentia eius, cui rem committere volumus, in miserabili autem necessitas et infans e tumultu et reliquis causis periculum non ferunt moram, et licet turpe in vniuersum sit etiam vulgare depositum inficiari neque reddere, habet tamen deponens quod sibi imputet; verum in miserabili non habet, cum extrema necessitas, in qua rem suam amici parum diligentis atque incurii custodiae, cuiusque fidem ac probitatem nondum penitus perspectam habebat, tradidit, ipsi excusandi causam sufficientem praebet. Id vnum obseruo, ex verbis edicti Praetoris inferri prorsus non posse, aduersus alium quam depositarium depositi actionem competere. Verum enim vero alia omnia censuit IULIUS PAVLVS *Rec. Sent. Lib. II. tit. 12. §. 8. ap. ANT. SCHVLTINGIUM c. l. et in Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit. X. §. 7. ap. eund. c. l. pag. 770.* Etenim *Si quis, inquit, rem penes se positam apud alium deposuerit, tam ipse directam, quam is, qui apud eum deposuit, vtilem actionem depositi habere possunt.* Quo loco nihil profecto clarius, quam hoc, depositi actionem etiam contra tertium possessorem locum sibi vindicare. Iam vero quomodo haec conueniunt cum edicto Praetoris, cuius verba supra ex VLPIANO *L. I. §. I. D. h. t.* commemorauimus, et qua ratione potuit PAVLVS scribere, deponenti vtilem depositi actionem competere aduersus eum, apud quem depositarius ipse rem penes se depositam rursus deposuit? Videtur sane hic PAULI locum interpreti negotium facessere*

cessere posse, propterea, quod edicto Praetoris quod
 VLPIANVS *c. l.* prodidit, manifesto repugnat, ipsique
 etiam AFRICANO, qui videri potest aliam prorsus
 opinionem amplexus esse, dum *Lib. VII. Quaestion.*
in L. 16. D. depos. dicit: *Si is, apud quem rem deposueris,*
apud alium eam deponat, et ille dolo quid admiserit,
ob dolum eius, apud quem postea sit depositum, eatenus
eum teneri, apud quem tu deposueris, ut actiones suas tibi
praestet. Certe memini nuper virum Iurisprudentiam
 elegantissime doctum IOS. LVD. ERNEST. PÜTT-
 MANNVM Academiae Lipsiensis Antecessorem fama
 atque eruditionis laude illustrem, quem hic honoris
 causa appello, in *Meletematum Iuris Civilis Specimine I.*
 quod ao. 1771. tuitus est, *cap. IX.* huic PAVLI sen-
 tentiae plane non subscribendum, sed aperte potius
 contra eam, et ab AFRICANI partibus standum exi-
 stimare. Atque profecto recte monet vir celeberrimus
 meaque laude maior, fragmentis illis iurisprudentiae
 veteris, quae extra iuris corpus supersunt, plus au-
 thoritatis, quam ipsis Digestorum capitibus, tribui
 haud posse, valere quidem illas iuris reliquias ad le-
 ges Iustinianei iuris interpretandas, ad subuertendas
 eas vim nullam habere debere, cum nullus altercacio-
 num finis foret, si CAII, VLPIANI, PAVLIQUE
 fragmenta, Codices porro Gregorianum, Hermoge-
 nianum et Theodosianum, graecos item interpre-
 tes, et quicquid veteris iuris praeter Iustinianam
 collectionem ad nos peruenit, cum hac ipsa com-
 mittere vellemus. An vero etiam tunc, si iis,
 quae PAVLVVS de actione vtili depositi aduersus depo-

depositarium secundum deponenti concedenda scripsit, assensum praebeamus, confestim evertatur AFRICANI sententia, quae iussu Imperatoris IVSTINIANI Digestis illata est, aut in pugna hac, quam inter vtriusque I Cti caput aliquis fingere forte ac comminisci posset, huius assertio illius opinioni, quam neglectam in Pandectæ voluerunt Tribonianus, eiusque in componendo veteris prudentiae volumine socii, postponatur, eo magis dubito, quo clarius opinor ex iis, quae statim disputaturi sumus, apparebit, vtriusque I Cti veteris sententiam saluis iuris principiis stare atque auctoritatem suam fortiri posse, inter eosque nihil minus, quam verum dissensum esse. Haud videtur dici posse, apud PAVLLVM non legi pura puta eius verba. Neque enim ANT. SCHVLTINGIVM neque PETR. PITHOEVM ad *h. l. in Collat. Leg. Mos. et Rom.* neque alium quemquam reperio lectionem huius loci sollicitasse, praeterquam quod, observante hoc V. Cl. HERM. CANNEGIETERO in *fragment. veter. Iurisprudent. pag. 243.* SCHRADERVS in *Critic. Obseru. cap. VII.* loco *positam* legi malit *depositam*. Sed hoc leue est, neque turbat orationis sensum. Quamquam enim VLPIANVS *L. i. pr. D. h. t.* scribit, praepositionem *de* in deposito vim verbi augere, vt in *deamo* et similibus, quod hic nec importune aliquid ad rem facit, quia ostendere voluit, totum quod ad custodiam rei pertinet, fidei alterius commissum, quam vnice deponens sequitur, nisi forte cum AEG. MENAGIO *Amoenit. Iur. Civil. cap. 39.* cui et SCHVLTINGIVS ad

PAVLI

PAVLI *Rec. Sent. II. 12. 2.* adstipulatur, depositum inde deriuare velis, quod deorsum poni solet: caeterum tamen re ipsa *positum* inter et *depositum* parum discriminis intercedere, eandemque vim vtrumque vocabulum habere docent exempla, quibus veteres ICTI, dum rem custodiae alterius traditam innuunt, voces *deponere* et simpliciter *ponere* promiscue vsurparunt. Nam vt non repetam ea omnia, quae BARN. BRISSONIVS *de Verb. Sign. sub h. v.* PHILIP. VICAT *in Vocabular. vtriusque iuris sub h. v.* nec non IO. CANNEGIETERVS *ad Collat. Leg. Mos. et Rom. c. l. pag. 232.* iam excitarunt, notabo id tantum, quod ipse deprehendi apud TRYPHONINVM *L. 31. §. 1. D. h. t.* vbi dicit: *latro spolia quae mihi abstulit, posuit apud Sejum.* Sed veniamus ad ipsam rem. Praeclare quidem ad hunc PAVLI locum SCHVLTINGIVS *c. l. p. 281.* obseruat, id ius, quo nempe deponens possit aduersus depositarium secundum actionem depositi vtilem mouere, cuiusque nulla in Digestis vestigia deprehenduntur, receptum videri, vt et plura alia, quae antiqua subtilitas non admittit, PAVLI demum tempore, qui AFRICANO longe fuit posterior. Hunc enim sub ANTONINIS potissimum IMPP. clarum et SALVIO IVLIANO aequalem extitisse, auctoritate *L. 3. §. 4. D. de agnosc. et al. lib. exissimauit* IAC. CUIACIVS *Obs. Lib. VII. cap. 2. et Tractat. I. ad African. init. in Opp. Tom. I.* ille contra PAVLVVS IMPP. SEVERI et ANTONINI CARACALLAE, nec non ALEXANDRI SEVERI aetate floruit, quippe, posteaquam primo

B

PAPI

PAPINIANI in Praefectura Praetoriana adfessor fuit, apud illos Consilarii, sub hoc autem Principe, Praefecti Praetorio munus sustinuit, ut SPARTIANVS in *Pescenn. cap. 7.* et LAMPRIIDIUS in *Alex. cap. 26.* referunt. Sed hac SHULTINGII ratione cum nondum declaratum sit, AFRICANVM et PAVLVM sibi inuicem non repugnare, et vtriusque sententiam adhuc hodie etiam valere, age videamus, quomodo dissidium hoc licet commentitium componi possit. Nobis omnium optime atque facillime rem confecisse videtur CYNR. RITTERSHVSIVS ad *L. 23. D. de Reg. Iur.* qui dicit, AFRICANVM in nobili hac lege, et vsu quotidianum continente hanc speciem proposuisse: qui primus rem deposuit, eum nullam habere actionem aduersus eum, cui secundo res commendata est a priore depositario, quia cum eo non contraxit. Verumtamen quia iniquum esset eum, qui primus rem deposuit, non habere actionem ad rem restituendam (hoc enim agitur potissimum iudicio depositi, ut res restituatur) hoc inuentum remedium esse, ut agat ille quidem depositi aduersus priorem depositarium, quocum ipse contraxit, hunc tamen ipsum liberari praestanda actione sua depositi, quam habet contra priorem. Nam directam quidem depositi actionem personalem ex ipso contractu descendente non dari primo deponenti, nisi cessa ei a secundo deponente fuerit, quia priorem deponentem inter et secundum depositarium contractus depositi deficit. Addimus AFRICANVM vel ideo scripssisse, depositarium primum teneri primo deponenti ad actiones

nes suas praestandas aduersus secundum depositarium, quod dolus huius ex post facto, de quo ICRUS simul loquitur, vindicabatur. Ad hunc autem compescendum vique opus erat actione directa cessa, quia deponens quidem in depositi conuentione depositarii primi, neutiquam vero secundi fidem sequutus erat, et quia veteres non quauis actione dolum coercendum existimarunt, adeoque ipsam doli actionem, quandoquidem odiosa habebatur, quippe famam suffigans, paullo difficilius, et in subsidium tantum, si alia deesset, concedere soliti sunt, vt praeter caeteros docuit NIC. HIER. GYNDLINGIVS *ad Prot. Dig. tit. de dolo malo p. 301.* Interim quemadmodum nec ipse RITTERSHVSIVS negat, posse primum deponentem contra secundum depositarium, apud quem res extat, instituta rei vindicatione eam reperere ab ipso, si actor sit dominus, et dominium suum probare possit; ita quoque concedit, ex PAVLI sententia vtilem depositi actionem deponenti primo aduersus depositarium secundum competere posse etiam sine cessione. Et recte quidem, quia vno medio alterum non tollitur. Nam primi deponentis arbitrio relictum viderur, vtrum, cum ipsius intersit, rem tantum depositam, de qua sola restituenda PAVLVM locutum esse putamus, quia doli a secundo depositario admissi prorsus non meminit, ab hoc reposcere vtili depositi actione, an simul damni dolo malo dati, quem insuper infamia sequitur, restitutionem vrgere velit. Posterius si facit, opus habet cessa a depositario primo directa depositi actione aduersus secundum depositarium,



rium, quia in conuentione hac ineunda illius quidem, neutiquam vero secundi fidem probauit, quam nec hic, negando depositum, fefellisse dici potest. Quam horum duorum locorum interpretationem si admittas, dissensus, quem AFRICANVM inter et PAVLLVM fingere quis fortasse posset, statim euanescit, et sine omni difficultate tollitur. Vilem autem depositi actionem nouo etiam iure quod Principum constitutionibus, quae in Codice Iustiniani prostant, sancitum, atque hodiernum quoque institui posse, clare testatur Impp. DIOCLETIANI et MAXIMIANI rescriptum Photino cuidam datum in *L. 8. C. ad exhib.* cuius verba haec sunt: *Si res tuas commodauit, aut deposuit is, cuius in precibus meministi, aduersus tenentem ad exhibendum vel vindicatione uti poteris. Quod si pactus sit, ut tibi restituantur, siquidem ei, qui deposuit, successisti iure hereditario, depositi actione uti non prohiberis. Si vero nec ciuili nec honorario iure hereditas ad te pertinet: intelligis, nullam te ex eius pacto, contra quem supplicas actionem stricto iure habere, utilis autem tibi propter aequitatis rationem dabitur depositi actio.* Vbi quamuis sub eo, ad quem nec ciuili nec honorario iure hereditas pertinet, intelligatur dominus cuius res commodauit quis aut deposuit sibi anrea non commodatas aut apud se depositas, tamen potest etiam procul dubio huius legis auctoritate contendere, ab ipso domino primo deponente vilem hanc depositi actionem aduersus depositarium secundum adeoque tertium possessorem institui posse. Certe ad id probandum huic constitutioni testimonium denunciat ipse IO. HENR. A BERGER

Oecon.

Oecon. Iur. Lib. III. tit. 2. §. 13. p. 461. Cum igitur AFRICANVS et PAVLVS inter se plane non dissentiant, quin etiam species quodammodo diuersas quisque proposuerint, deinde vero huius assertio vel nouo iure, quod constitutio Codicis seruat, confirmetur; profecto vix dici potest, si PAVLI sententiae adhuc locum concedamus, fragmento extra Iustiniani Iuris collectionem obuiro robur ac pondus conciliari ad euertendam vim capituli eiusmodi, quod adeo Digestis continetur. Neque enim alia quam PAVLI, ipsorum Imp. in hac constitutione mens fuit, quam nemo dicit superesse extra Iustiniani Iuris Corpus, cum clare admodum in Codice legatur. Nec dici potest, apud nos fecus iudicatum legi. Neque enim in vniuersum testatur CHRIST. HENR. de BERGER in *Decif. Summi Senat. Prouoc. Decif. 246. pag. 235.* actioni depositi aduersus tertium possessorem institutae locum haud reliquisse Curiam Supremam Lipsiensem eiusque sententiam a Summo Prouocationum iudicio confirmatam fuisse, sed tantum in laudata decisione, qua hanc speciem proposuit, debitorem contra tertium documenti oppignorati possessorem depositi actionem instituere non posse, contendit, huic actioni ob momentum quoddam in libello omissum, et ad rem decidendam inprimis necessarium, non locum datum fuisse. Quia enim depositi actio contra successores singulares non competit, sed potius rei vindicatio, vt clare innuunt Imp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS *L. 8. C. depof. vbi: Si is, inquit, qui depositam a te pecuniam accepit,*




pit, eam suo nomine, vel cuiuslibet alterius mutuo dedit: tam ipsum de implenda suscepta fide, quam eius successores teneri tibi certissimum est. Aduersus eum autem, qui accepit, nulla actio tibi competit, nisi nummi extant: tunc enim contra possidentem uti (rei) vindicatione potes: profecto cum aduersus tertium, qui documentum, quo debitor se obligauerat, possidebat, eiusque nomine recognitionem dederat, se possessorem illius documentum hoc debitori prius reddere nolle, quam soluta ab hoc creditori pecunia, ipse deponens debitor actionem depositi mouisset, Suprema Curia Lipsiensis reiecit libellum pronunciata formula: *dass die Klage, inmassen sie anbracht, nicht statt habe*: Senatus autem Prouocationum sententiam hanc confirmauit, propterea quod libello haud continebatur, actorem esse deponentem, sed rem apud tertium, deponentis causa, esse.



PRAENOBILISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DEFENSORI

S. P. D.

CHRISTIANVS RAV, D.

um disputationis habendae causa ad cathedram a
me perduci velles, huic desiderio TVO honestis-
simo eo lubentius obtemperare volui, quo suavius mihi est
carissimorum Commilitonum voluntati et commodis inserui-
re, quoque maiorem TVmet ipse in animo meo excitasti lae-
titiā, collocata in me studiisque qualibuscunque meis fidu-
cia tanta, ut me potissimum docti certaminis comitem ac so-
cium eligeres. Quemadmodum autem ab omnibus, qui TE
penitus norunt, ingenii TVI bonitatem et diligentiam
singularem, quam studiis litterarum praestitisti, plus sim-
plici

plici vice commemorari summa cum voluptate audiui, ita
quoque facile spero TE exiguo huic libello, quem TVAE
tutelae tradidi, fortem ac strenuam defensionem paraturum
esse. Caeterum specimen eruditionis, quod editurus es,
ex animo TIBI gratulor, utque immortale numen TE
per omnem vitam cunctis humanae felicitatis bonis beatissi-
mum esse iubeat, inprimis virtutem TVAM atque indu-
striam mox praemiis splendidissimis ornet, vehementer pre-
cor et opto, me vero fauori TVO maximopere commendo.
Vale. Scripsi in Lipsica Litterarum Viuieritate
a. d. XXII. April. MDCCLXXV.



Leipzig, Diss., 1775 K-2







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

14.

DE

1775/47

7

ACTIONE DEPOSITI
ADVERSVS TERTIVM

POSSESSOREM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

P R A E S I D E

P. 254.

CHRISTIANO RAV

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE

A. D. XXIV. APRIL. CIOIOCCCLXXV.

H. L. Q. C.

DISPV TABIT

CHRISTIANVS GOTTLIEB WOLFFGANG
ESCHENBACH

LIP S I A M I S N I C V S ,

LIP S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



291